

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
SUCCESSIONE
IN
EXSPECTATIVAM FEVDALEM

QVAM
ADIVVANTE SVMMO NVMINE
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRISCONSULTORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE
VIRO EXCELLENTISSIMO AC CONSULTISSIMO
DOMINO

D. DANIELE NETTELBLADT

SACR. REG. MAIEST. BORVSSICAE A CONSIL. AVLIC.
ET PROFESSORE IVRIS ORDINARIO

PRO SVMMIS IN VTRQVE IVRE HONORIBVS
AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

AD D. XVI. OCTOBR. A. MDCCCL.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITIT

AVCTOR RESPONSVRS

IOACHIMVS FRIDERICVS BRAND
MAGDEBURGICO-CALBENSIS.

HALAE SALICAE AERE HENDELIANO.

(4)

DISSESSATIO MAGISTERIALIS IURIDICAE

DE

SACCESSIIONE

EXSESSATIONEM ETUDIUM

ADVAVENTIA COMMUNIS IN MINE
CONSENSU AUTOMATICO ALLEGORIAS
LEGIS PLIZ TERRITORIALIA GOVERNIS
IN REBUS TRIBUNICIAZ

PRO EQUITATISIMO AD GENSALISM

D. DENEIT. NELTEBLADE

REG. MARCI. RYKESER. A. COLE. V. VANTO
IT. DOUGORE. LARS. QVAMMO
TGO SUMMUS IN HISTORIOGRAPHIA HONORABIS
AC PIVUS. D. G. C. V. S. T. C. O. S. O. L. D. S.
AD. C. X. I. O. C. T. H. A. F. V. H. T. T.

LOGHIA. ERIDERICAS. GRAND
SACRED. SACREDO-CELESTIA

H. L. H. S. T. S. A. T. E. H. E. E. L. I. O.



DISSESSATIO IURIDICA IN AVGVRALIS
DE
SUCCESSIONE
IN
EXSPECTATIVAM FEVDALEM.

C A P V T I.

D E

**SUCCESSIONE IN EXSPECTATIVAM
FEVDALEM IN GENERE.**



§. I.

*E*xspectativa feudalis est ius a solo domino feudi acquisitum, aliorum dominio utili feudi extincto, illud acquirendi.

Plane superfluum esset hic repetere satis notam, & in omnibus compendiis obviam exspectatiuae feudalis definitionem, nisi hac voce vtantur DD. iuris feudalnis in vario significatu. Alii enim

A

ex-

Dissertatio inauguralis iuridica

exspectatiuae feudalis vocem sumunt pro actu ipso, veluti pacto, per quod constituitur; alii pro litteris exspectatiuae concessionem describentibus; alii denique pro iure. Determinandum itaque erat, in quo significatu ego hic hac voce viar. Quod vero per exspectatiuam ius intelligam ideo factum; quoniam non solum in genere hic significatus est optimus: sed & in specie pro substrata materia aliud significatus admitti nequeat.

§. II.

Succedere in exspectatiuam feudalem dicitur, qui acquirit eam, mortuo eo, qui eam hactenus habuit, per eum qui mortuus est.

Successio circa feuda obueniens maxime differt pro obiecti successionis diueritate. Alia est *succesio in feudum ipsum*; alia est *succesio in simultaneam inuestituram*; alia est *succesio in ius acquirendi dominium feudi vtile*, si feudum erit apertum, quorundam pertinere *succesio in exspectatiuam feudalem*; *succesio in ius*, ex parte successorio circa feudum inito, acquisitum, &c. Successio in feudum ipsum vero iterum duplex est, cum alia sit *succesio in feudi pro re sumti dominium directum*; alia in *feudi dominium vitale*: cum e contra aliae successiones circa feuda obuenientes semper dominium vtile feudi respiciant. Ast tamen prout distinguendum est inter successionem in ipsam simultaneam inuestitutram, & successionem simultaneas inuestitorum in feudum: ita eodem modo inter successionem in ipsam exspectatiuam feudalem, & successionem exspectatiuariorum in feudum distinguendum est. Variae haec recensitas successionis species sunt itaque a se inuicem distinguendae, & a se inuicem separandae, quod vulgo in compendiis iuris feudalis non fieri dolendum. Ego vero iam nec de successione in feudum ipsum, quae satis nota est; nec de successione in simultaneam inuestitutram, de quo argumento iam exstat elegans Dissert. WERNHERI, aut eorum in feudum successione, quod argumentum etiam idem WERNHERVS in speciali Diss. iam pertraetauit; nec de exspectatiuariorum in feudum successione, quorundam tendit THEOD. BERGERI Diss. de *successione in feudum*

de successione in exspectatiuam feudalem.

3

dum apertum exspectantia promissum, Marb. 1736. habita: sed potius tantum de successione in exspectatiuam feudalem agere decreui. Nemo enim, quantum ego recordor, hanc materiam in peculiari quodam scripto sibi summis enucleandam, & tamen eam mereri specialem pertractionem, ex sequentibus patebit.

§. III.

Ex data definitione successionis in exspectatiuam feudalem statim per se patet, quod, si in successorem transit antecessoris, qui exspectatiuam concessit, obligatio ex exspectatiua eius, successorem in exspectatiuam feudalem succedere, dici haud poscit.

Vel ideo hoc monendum esse censeo, ut eo magis determinetur ipsum thema de quo scribo. Posset enim dici successionem in exspectatiuam feudalem esse duplicem, aliam ratione subiecti concedentis, aliam ratione subiecti accipientis: cum aliud sit, succedere in obligationem exspectatiuae, pro iure sumtae, respondentem, aliud in ipsam exspectatiuam. Ast cum doctrina de successione in ipsam exspectatiuam tam secunda sit, ut vix tempus sufficiat omnia, quae hue pertinent, pro dignitate pertractandi, de ea tantum hic est agendum. Ut taceam, doctrinam de successione in obligationem concedentis exspectatiuam, seu, quod idem est, de obligatione successoris ex expectatiua antecessoris IOAN. IAC. LANGIVM haud ita pridem sub praesidio III. GEORG. LYDOV. BOEHMERI in arenam disputatoriam produxisse,

§. IV.

Prout successio in feudum ipsum triplex est, ita & successio in exspectatiuam feudalem triplex est: nimirum vel legitima, vel testamentaria, vel paetitia.

Quod attinet testamentariam & paetitiam successionem in exspectatiuam feudalem, plura de his speciebus addere nolo, cum vulgaria & trita sint, quae de iis dici possent. Quoties itaque

A 2

in

Et in sequentibus de successione loquor semper legitima est intelligenda.

§. V.

Absolutis itaque iis, quae ad meliorem rubri huius dissertationis intellectum monenda esse duxi; iam adhuc quaedam alia generalia praemittenda, quae sequentibus intelligendis & demonstrandis inseruient, nec tamen hic supponi possunt. Pertinent vero hoc praesertim nonnullae divisiones exspectatiuae feudalies, praeter vulgares & satis notas divisiones.

§. VI.

Ad tales divisiones refero 1) exspectatiuae feudalis divisionem in personalem & realem. Videlicet per se patet exspectatiuam feudalem vel ita concidi posse vni vel pluribus, ut cum persona extinguatur, vel non. In priori casu dicitur *personalis*, in posteriori vero *realis*.

Pone exspectatiuam esse concessam sub hac clausula: *begnaden auch ihn sowohl als seine Leibes-Lebns-Erben mit berührt Anfall &c.* runc exspectatiua esset realis. Pone vero exspectatiuam ea lege datam esse: *dass wenn sich die Eröffnung bey des ersten exspectatiuarii oder dessen Söhne leben nicht begiebet, alsdem solche Exspectanz weiter nicht gültig seyn solle*, runc exspectatiua esset personalis. Non enim praeceps requiritur exspectatiuam personalem ad vnum individuum humanum restringi, sed sufficit quod semper cum eius, cui concessa, persona extinguatur.

§. VII.

In dubio potius praesumendum est exspectatiuam realem quam personalem esse. In exspectatiuis feudalibus enim personae industria non eligitur, & cum spes aperturae

rae longinquier, plerumque inutiles forent, nisi ad heredes transirent, exspectatiue feudales. Quae cum ita sint, omnino magis probabile est, exspectatiuum concessam realem quam personalem esse, hincque prius potius quam posteriorius est praesumendum.

Et ita mecum sentiunt v. c. WOLFF in *ELEM. IUR. FEUD.* C. 7. §. 16. BORN. de *exspectatiua* §. 11. Licet vero primo intuitu videatur, hanc propositionem esse restringendam ad exspectatiuas conuentionales, sive legatam exspectatiuum esse excipiendam, quoniam conditionem continere videtur hoc legatum, legata conditionalia vero, conditione nondum existente, ad heredes legatarum non transeunt: ex sequentibus tamen patebit, legatam exspectatiuum in heredes transire, prout conuentionalis in eos transit, hincque non opus est hac restrictione.

§. VIII.

Ad exspectatiue feudalis diuisiones, de quibus hic agendum, pertinet II) diuisio exspectatiuae in *nouam* & *antiquam*. Eodem sensu vero, quo ipsum feudum in nouum & antiquum diuiditur, etiam exspectatiua feudalis in nouam & antiquam diuiditur.

§. IX.

Pertinet hoc III) ea exspectatiuae feudalis diuisio, quod alia sit *precaria*, alia *non*: prout est vel reuocabile, vel irreuocabile ius.

Aliter quidem quoad verba, ast tamen quoad rem ipsam eodem modo, exspectatiuum precariam definit III. GEORG. LUDOV. BOEHMERVS in Tract. de *indole & natura exspectatiuae & inuestiture feudalis* §. XIX. dum ait: *exspectatiua precario indulgetur dum sub facultate eamdem reuocandi, seu quamdiu concedenti placuerit conceditur.* An vero supposita hac genuina notione, genuina exempla exspectatiuae precarie sint, quae ex LUNIGIO ibi produxit in medium, videant alii.

A 3

§. X.

§. X.

Quæstio: An? in successione in exspectatiuam feudalem est ea, qua quaeritur, vtrum in genere successio in exspectatiuam feudalem locum habeat, vel non: Quæstio: Quomodo? in hac successione, est ea, qua quaeritur quis succedat, & quis succedendi ordo locum habeat: Quæstio: Quamdiu? vero est ea, qua quaeritur, quamdiu duret ius succedendi in exspectatiuam feudalem.

§. XI.

Tota doctrina de successione in exspectatiuam feudalem redit ad haec summa capita: Quæstionem: An? Quomodo? & Quamdiu? in hac successione. Id quod per inductionem per se patet.

Meum itaque erit, eo cogitationes meas dirigere, vt haec summa capita distincte euoluantur, hincque in Cap. II. de quæstione: An? in Cap. III. de quæstione: Quomodo? & in Cap. IV. de quæstione: Quamdiu? erit agendum.

C A P V T II.

DE QVAESTIONE: AN? IN HAC SVCCESSIONE.

§. XII.

Cum hic, dum de quæstione: An? ago, definitum sit, vtrum in genere successio locum habeat in exspectatiuam feudalem, & ad hanc, pro iurium diuersitate, diuerso modo respondendum sit: de ea secundum ius feudale *naturale, germanicum, & longobardicum* agendum est, tumque, quid hodie in foro obtineat, addendum.

§. XIII.

§. XIII.

Secundum ius feudale naturale, si exspectatiua realis est, successio in eam locum habet: si vero est personalis, successio in eam non habet locum. Cum iuris feudalis naturalis sit, dominum feudi posse de dominio utili in casum, quo feudum erit apertum, disponere: prout is disponit, ita ius esse debet. Quod vero dominus, dum exspectatiuam feudalem concedit, de dominio feudi utili in casum, quo feudum erit apertum, disponat; & is velit, si exspectatiua est realis, eam ad successores transire, non vero si est personalis, ex ipsis definitionibus patet; hincque sine ulteriori demonstratione constat, de veritate propositionis demonstrandae.

Vix quidem mentio hodie adhuc quemquam de iustitia exspectatiuarum licet esse moturum, hincque exspectatiuas non esse iuris naturalis, defensurum. Hic vero praeter spem forsitan errantem meliora docebit ENGELHART in specimine iuris feudalis naturalis §. 68.

§. XIV.

Secundum ius feudale germanicum antiquum successio in exspectatiuam feudalem non habuit locum: sed potius mortuo exspectatiario exspirabat ipsa exspectatiua feudalis; prout etiam, si mortuo vasallo aderat successor feudalis legitimus, ea statim exspirabat.

Ius Feud. Alemannicum Cap. 127.

Stirbt ain man an der weyl so seyn
weib obind tregt, und hat er sein
leben ainem mann gedingt mit des
Herren willen und ist dew fräw des
obinds nicht geneßen, der man soll
sich

Si vasallus moritur uxore praegnante, & concessa exspectatiua alteri cum Domini consensu, vxor autem nondum peperit, potest Vasallus (expectans) iure suo fundum

fch mit Recht des gutz underwinden pis das dew frau des chinds genist, und iff er ain sun, so ist das gedinge tzerbrochen ob es lebendig gebohren iff.

Sächsisches Lehn-Recht C. v.

Zween Mannen mag der Herr ein gut liben, also daz ein die gewere dar an habe und der andere daz gedinge ob der abne Lebnerbe sterbe der daz gut ingewerben bat. Amme Gedinge en ist nicht ein folge leit ez ouch jene der ez in gewern hat daz gedinge ist gebrochen, ez en si dat era wieder entpha der ez gelazen hat und duran ersterbe.

Sächsisch. Lehn-Recht C. xx.

Wann der son nach des Vaters tode lebet also lange daz man sine stimme geboren mac in vir Wenden des Huses so ist er beerbvet mit fines vaters lene und hat ez gevernet allen die ez gedinge daran hatten.

Sächsisches Lehn Recht C. xi.

Welch gut ein man in sienem gemearen nicht en hat und ime nicht beweiset ist deme ennmac her nicht gevolgen a einen andern Herren noch erben an finen sone.

dum occupare donec vidua peperit, quae si filium pariat, *rupta est exspectativa*, siquidem viuum peperit.

Ius Feud. Saxon. Lat. C. vii.

Dominus potest duobus solum feudum conferre vni possessionem & alteri expectionem quae dicitur conuentio: si moriatur absque herede feudali possessor. In expectione non est successor, si etiam sponte resignet possessionem, & exspectativa annullatur, nisi irerum recipiat resignatum & in possessione decadat.

Ius Feud. Saxon. Lat. C. xv.

Cum vixerit filius tamdiu quod vox ipsius audiri possit in 4 parientes domus, ipse haeredebat bona patris. Filius qui moritur ante patrem non est haeres feudalis, qui feudum non haeredat, & ideo non infringit alicui feudum de futuro in bonis patris.

Ius Feud. Sax. Lat. C. xi.

Feudum quod non habet vasallus in possessione nec sibi a Domino est ostentum, hoc non potest sequi ad alium dominium nec suo filio haeredare.

Hi

de successione in exspectatiuam feudalem.

2

Hi textus id quidem satis euidenter probant, quod exspectatiua extinguatur si vasallus possessor moritur, relitto herede feudali legitimo. Quod vero nec transeat exspectatiua in heredes exspectatiuarii, id quidem textus ex iure feudali Saxonico allegati itidem euidenter satis probant, & praesertim ex alleg. Cap. XI. Iur. Feud. Saxon. patet: cum quotiescumque Ius Feud. Saxonum loquitur de feudo sine possessione, *Lehn ohne Gewehr*, hoc intelligendum sit de exspectatiua, *dem Gedinge*; sicque & hic textus de exspectatiua intelligendus sit, per ea, quae habet HARTM. PISTOR. in *Quaest. Iur. Part. 2. Quaest. 25. num. 33. seqq.* Ait nec in *Iure feudali Alemanno*, nec in *Auctore vetere de Beneficiis* occurrit textus disertis verbis hoc probans. Ideo tamen nullus dubito defendere, non apud antiquos Saxones solum, sed potius per totam Germaniam, olim in exspectatiuam locum non habuisse successionem, vel, quod idem est, omnes exspectatiuas fuisse olim personales. Non solum enim in omnibus textibus, in collectionibus consuetudinum feudalium veterum Germanorum obuiis, qui agunt de exspectatiua, nunquam heredum exspectatiuarii sit mentio; sed &, cum ipsa feuda olim non essent hereditaria, nec exspectatiuas fuisse hereditarias, quam maxime probabile est. Liceret vero postea feuda ipsa hereditaria facta sint, tamen probabile est, cum primum quoad descendentes rantum, non vero simul quoad collaterales, ipsa feuda haereditaria facta sint, quoad exspectatiuas antiquam consuetudinem adhuc aliquantis per in obseruantia mansisse. Accedit quod, quantum mihi quidem constat, non occurrant ante Sec. XIII. litterae exspectatiuae, in quibus simul heredibus prospectum: cum tamen recentioris aevi litterae exspectatiuae heredum exspectatiuarii mentionem iniicere soleant. Im-

B

mo,

mo, & hoc confirmat meam sententiam, quod in antiquis chartis saepius condicio, quae exspectatiuae inest, his verbis expressa legatur: *si sine herede filio, quod Deus auertat, ipsum (nimirum vatallum possessorem) PRAEMORI contigerit.* Vide e. g. formulam litterarum exspectatiuae super exspectatiua a FRIDERICO II. Imp. HENRICO Misniae Marchioni datarum apud WECKIVM in der Be-
schreibung der Stadt Dresden p. 154.

Quod exspectatiuae feudales olim & apud vereres Germanos fuerint incognitae plane, ut putat SCHILTERVS in *iure feud.* Alem. C. XII. §. II. est dudum iam ab aliis explosa fabula. Conf. BOEHMERI Tract. de natura & indole exspectatiuae feudalis §. IX. MASCOVII Diss. de exspectatiuis in feuda imperii §. XIV.

§. XV.

Secundum ius feudale longobardicum idem valet quoad quaestionem: An? in successione in exspectatiuam feudalem, quod secundum ius feudale naturale valere §. XIII. dictum. Ait enim Feudista I. Feud. I. „Si quis inuestitus fuerit de alieno feudo post mortem eius, vel si quis fuerit inuestitus sub conditione aliqua, vel tempore, quo nullus erat inuestitus, sive praemoriat tenens feudum, sive inuestitor, sive inuestitus: inuestitor & inuestitoris heredes tenentur inuestito, vel HEREDI EIVS, veniente tempore vel conditione: licet alii dicant, si moriatur inuestitus antequam tenens feudum, vel ante conditionem existentem, vel ante tempus, quod heredes eius non debeant inuestiri.“ Hic textus latris claris verbis probat, exspectatiuam feudalem transire in heredes. Licet vero generalibus verbis hic textus sit conceptus: nemo tamen, cui mens sana in corpore sano est, negabit, hic

hic supponi casum, quo, quod ordinarium est, & de quo leges tantum loqui solent, exspectatiua, quae concessa, realis est, & neutiquam eum ad exspectatiuas personales est extendendum. Patet itaque quoad quaestionem: An? in successione in exspectatiuam feudalem, nullam esse inter ius feudale naturale & Longobardicum differentiam: sed potius etiam secundum ius feudale Longobardicum, si exspectatiua realis est, successionem in eam locum habere, non vero si est personalis. Conf. BITSCHIUS in Comment. ad *Consuet. feud.* p. 117.

§. XVI.

Hodie in Germania, ne quidem ipsa Saxonia excepta, si exspectatiua realis est, in eam successio locum habet: non vero si est personalis. Ita enim in iure feudali longobardico constitutum est (§. XV.), quod in collisione cum iure feudali germanico veteri, ei praferendum est, nisi probari possit, adhuc post recerum ius feudale longobardicum in obseruantia mansisse. Tantum vero abest, ut hoc probari possit, ut potius testentur practici, in ipsa Saxonia antiquum Ius Saxonum quoad hunc passum non amplius in usu esse, veluti C A R P Z. in *Iurispr. for. P. II.* Concl. 45. Def. 9. H A R T M. P I S T O R. Quaest. iur. Lib. II. Quaest. XXV. B E R L I C H. Part. II. Concl. 54. n. 37. & 38. S T R V V. Synt. iur. feud. C. VII. Thes. 8. n. 1. H O R N. *Iurispr. feudal* C. XII. §. 17.

§. XVII.

In dubio hodie in Germania praesumendum est ubique exspectatiuam ad heredes transire, seu, quod idem est, successionem in eam locum habere. Praesumendum est

B 2

enim

enim exspectatiuam esse realem (§. VII.): si vero realis est, in eam hodie in Germania successio locum habet (§. praeced.).

§. XVIII.

Si exspectatiua realis est, licet sit precaria: tamen ideo, quoniam precaria est, non cessat successio in eam. Licet enim, si exspectatiua precaria est, ius exspectatiuarii sit ius renocabile (§. IX.): renocabilitas iuris tamen per se non efficit illud non posse transire in heredes; hincque nec ideo, quoniam exspectatiua est precaria, si modo realis sit, cessat successio in eam.

§. XIX.

Si exspectatiua realis est, licet sit legata, tamen successio in eam locum habet. Licet enim conditionalia legata non transmittantur in heredes: tamen, si exspectatiua legatur, proprie dici nequit legatum esse conditionale: cum exspectatiua pure legetur, licet dominium viile exspectatiarius demum, si feudum apertum fuerit, acquirat; immo, si etiam inesse conditio huic legato, ea tamen tacita esset. Iam vero constat legata pura ad heredes transire, &c, licet in sit legato conditio tacita: eam tamen non impedire transmissionem in heredes; hincque, si modo exspectatiua realis sit, licet sit legata, tamen ad heredes transit, & successio in eam locum habet.

Cum quoad alias species exspectatiuae feudalis, praeter precastram & legatam, nulla addit dubitandi ratio eas ad heredes transire: de iis nihil addendum. Si itaque exspectatiua est realis, tum quoad quaestione: An? ratione successionis nil interest sive ea sit noua, sive antiqua, sive determinata, sive indeterminata &c. Ceterum quoad ea, quae de legata exspectatiua dicta sunt, videhis *HORNIVM in Iure Feud. C. XII. §. 17.*

CA-

C A P V T III.

DE QVAESTIONE: QVOMODO?
IN HAC SVCCSSIONE.

§. XX.

Quum quaestio: Quomodo? in successione in exspectatiuam feudalem sit ea, qua quaeritur, quis succedit, & quis successionis ordo sit obseruandus (§. X.); per se patet in hoc capite omnia eo redire, ut 1) *quis succedere possit in exspectatiuam feudalem*, & 2) *quis successionis ordo sit obseruandus*, determinetur. De vtroque hoc themate itaque iam agendum est, praemissso principio generali, ex quo sequentia fluunt.

§. XXI.

*Licet exspectatiua feudalis per se non sit verum fe-
dum: tamen, quid iustum sit circa successionem in exspectatiuam
feudalem quoad quaestionem: Quomodo? magis ex
principiis de successione feudali, quam ex principiis de suc-
cessione allodiali, est definiendum.* Cum enim exspectatiua
feudalis, licet sit res quaedam incorporalis, quae infeudari
posset, per se considerata tamen non sit res infeudata
quicquid vero non infeudatum, id nec verum feendum sit,
nec exspectatiua feudalis verum feendum est. *Quod erat
primum.*

Quoniam tamen exspectatiua feudalis pro obiecto
habet feendum, pro subiecto accipiente futurum vasallum,
ac pro fine successionem in feudo; prout ex ipsa exspectatiuam
feudalis §. I. data definitione patet: sufficiens adest,

si quid video, ratio, vt, quid iustum sit circa quaestio-
nem: Quomodo? in successione in exspectatiuam feuda-
lem, potius ex principiis de successione feudali, quam ex
principiis de successione allodiali, definiatur. *Quod erat
secundum.*

Licet itaque cum HELFRICHO in Diss. *sistente casus potiores
extinctae exspectatiuae feudalies* §. 23. defendere non audeam, ex-
spectatiuas feudales esse qualitate feudali praeditas; eatenus tamen
eius sententiam admitto, quod in determinanda successione, ma-
gis pro feudis, quam allodiis sint habendae.

§. XXII.

*In exspectatiuam feudalem in genere nemo suc-
dere potest, quam is, qui in genere in feuda succedere potest.*
Per exspectatiuum enim acquiritur ius aliquando succe-
dendi in feudum, & haec est vnica, quae ex exspectati-
ua oriatur, vtilitas. Qui itaque ad successionem in feuda
non est habilis, eum in exspectatiuum succedere posse ab-
surdum esset; cum ius acquireret, quo vii nunquam pos-
set, tendensque in vtilitatem, qua nunquam frui posset.

Licet itaque, quod tamen hodie fieri non solet, in exspectati-
uae concessionē heredum feudaliū legitimorum nulla facta sit
mentio; immo licet simpliciter heredum facta sit mentio: tamen
non indistincte omnes heredes defuncti exspectatiuarii ad successio-
nem in exspectatiuam feudalem admittunt possunt. *Conf. TITI
deutschē Lohn-Recht C. 13. §. 22.*

§. XXIII.

*Si exspectatiua feudalies est exspectatiua determinata:
in specie non nisi ii succedere possunt in exspectatiuam
feudalem, qui succedere possunt in ipsum feendum, in quod ex-
spectatiua data est.* Cum demonstratio in §. praecl. data
& hic applicari possit, eam repeterem nolo.

Sit

Sit itaque feudum masculinum: tum in exspectatiuum feudalem, hoc feudum respicientem, nonnisi masculi succedere possunt. Ceterum per se facile paret, cur haec propositio ad exspectatiuum determinatam sit restricta. Si enim exspectatiua est indeterminata, sive nullum adest certum feudum: nec in specie ad qualitates successorum feudalium in certo feudo est respiciendum.

§. XXIV.

Si feudum, in quod exspectatiua data, tale est, ut, per modum exceptionis a regula, in illo succedere possint, qui in regula non sunt successores feudales habiles: ideo tamen in exspectatiuum, in tale feudum datam, idem succedere nequeunt. Diversas successionis species esse, successionem in feudum, & successionem in exspectatiuum feudalem, quilibet fatebitur. (*vid. not. ad §. II.*) Nec adest fundamentum, ex quo defendi possit, a successione in feudum exspectantia promissum, ad successionem in ipsam exspectatiuum argumentari licere. Non possum itaque non quin pro vera habeam propositionem demonstrandam.

Nec dici potest praesumendum esse, eosdem ad successionem in exspectatiuum esse admittendos, qui ad successionem in feudum ipsum, in quod exspectatiua data, admittuntur. Nam admisso eo, quod extraordinarium est, in successione in feudum, non praesumendum est, ideo, quod extraordinarium est, etiam admittere voluisse exspectatiuum concedentem & acquirentem in successione in exspectatiuum. Stat potius semper praesumitio pro eo, quod ordinarium est: cur itaque nec hic pro eo, quod ordinarium est, praesumitio stare debeat, non video. Ceterum monendum est, quod, quae dicta sunt de habilitate successorum in exspectatiuum, habilitatem absolutam concernant: iam itaque etiam de habilitate respectiva, habitu nimirum respectu eius, cui succedendum, est agendum,

§. XXV.

§. XXV.

In exspectatiuam feudalem tantum defuncti successores feudales succedere possunt, & omnes qui defuncto non possunt in feudo succedere, nec possunt succedere in eius exspectatiuam feudalem. Ex ipia definitione exspectatiuae feudalis patet eam concernere successionem feudalem, & determinare eventualem successorem in feudi dominium vtile (§. 1.); licet successio in exspectatiuam feudalem a successione in feudi dominium vtile omnino differat. (*not. ad §. 2.*) At enim vero in successionibus, quae etiam tantum concernunt successionem in feuda, magis tamen probabile est potius successionem feudalem approbatam esse, quam allodiale: ea vero approbata, in eius exspectatiuam feudalem, non nisi defuncti successores feudales succedere possunt; hincque omnes, qui defuncto non possunt succedere in feudo, nec possunt succedere in eius exspectatiuam feudalem.

Potest haec propositio etiam hoc modo demonstrari. In simultaneam inuestituram non nisi defuncti successores feudales succedere possunt. A successione in simultaneam inuestituram vero licet argumentari ad successionem in exspectatiuam feudalem; hincque & idem in hac successione iuris esse debet.

Potest tandem etiam haec propositio breviter ex principio §. XXI. stabilito demonstrari. Si enim successio in exspectatiuam feudalem ex principiis de successione feudali est definienda; sequitur omnino, non nisi defuncti successores feudales succedere in eam posse.

Desunt,

Desunt, fateor, leges probantes: deest, fateor, auctoritas DD. nec nego ipsas demonstrationes vix sufficere videri, ad stabilendam thesin, quam defendo. Quod enim primo attinet leges in textu I. Feud. 9. non nisi generaliter heredum exspectatiuarii fit mentio. Quid vero in hoc textu *heredis* vox denoter, in eo DD. non conueniunt, & sunt qui putant solos filios hic sub heredis nomine venire, veluti HARTM. PISTOR. Lib. 2. Quæst. 26. n. 21. quem sequitur STRVVIUS in *Synstagm. iur. feud.* Cap. 7. Aph. 9. n. 12. Reste vero iam monuit RHETIVS in *Comm. in Ius Feud.* ad I. Feud. 3. n. 10. in hoc textu & in nostro textu I. Feud. 9. nomine heredis omnem successorem intelligi, qui *adminicula* defuncti ad succedendum vtitur, vel per defunctionem ad successionem adspirat, siue masculus sit, siue femina, cui per pactum prospectum, vel feudi qualitas admittit. Quae licet ita sint, hic texrus tamen non probat præcise eos tantum heredes intelligendos esse, qui possunt succedere in feuda. Quod attinet secundo DD. auctoritatem, multi quidem allegari possunt DD. qui exspectatiuam in heredes transire defendunt, ad quos præter eos quos iam supra §. XVI. nominatiui pertinent MAIER in *Comment. ad Ius feud. commune* Cap. 3. §. 7. num. 4. STRYK. in *Diss. de exspectatiuis* Cap. V. n. 30. KOCH in *Tr. de exspectatiuis* Cap. I. §. 14. Sed si quaeris, qui ex heredibus in exspectatiuam succedant, alium est silentium. Vnicus fere TITIVS determinat, qui heredes sint admittendi, licet non probet suum assertum. At enim, dum de exspectatiua loquitur, in dem teutischen Lehn-Recht Cap. 13. §. 22. Indessen wird doch solch Recht, nach der gemeinen menschlichen Neigung auch auf die Erben verendet — ordentlicher Weise aber sind nur Lebns-Erben zu verstehen, davor werden nicht allein Weiberspersonen, sondern auch des Warters Eltern und Seiten-Verwandten ausgeschlossen. Quod vero attinet tertio demonstrationes huius propositiones, prima ideo non satis firma videretur, quoniam principium illud, quod magis probabile sit approbatam esse in successionibus, quae etiam non nisi per indirectum successionem in feuda respiciunt, suc-

cessionem feudalem, sine ulteriori demonstratione tanquam verum adsumo. Ast cum desint adhuc principia, ex quibus demonstrari possit, quid altero magis probabile sit, hic fuit subsistendum. Quod vero attinet secundam demonstrationem, ex magna similitudine, quae est inter ius simultaneae inuestiturac & exspectatiuam, quae in eo consistit, quod utrumque ius a domino sit, virumque concernat eventualem in feudi vtile dominium successionem, patet veritas eius principii, quo in ipsa demonstratione vt: quod nimirum a successione in ius simultaneae inuestiturae, argumentari licet ad successionem in exspectatiuam feudalem. Quod vero & alterum principium, quo vt in hac demonstratione, verum sit: quod nimirum in ius simultaneae inuestiturae non nisi successores feudales defuncti succedant, ex iis patet, quae de successione in simultaneam inuestituram docuit WERNHERVS in Diss. de *successione in simultaneam inuestituram*. Ast si etiam haec demonstrationes non sufficiunt, sufficit tamen tertia, quam adieci.

§. XXVI.

Si ad successionem in defuncti feuda, per modum exceptionis a regula, successores admittuntur, qui in genere non sunt successores feudales habiles, hi ideo in eius exspectatiuam feudalem succedere nequeunt. Eadem demonstratio, quae iam supra (§. XXIV.) data, & hic mutatis mutandis locum habet.

Pone e. g. feudum exspectatiuae oneri subiectum esse masculinum, etiam feminas vero in ultimo defuncti exspectatiuarii feuda succedere posse: ideo tamen in hanc exspectatiuam feminae succedere nequeunt.

§. XXVII.

§. XXVII.

Licet feudum, in quo aliquando vi exspectatiuae succedendum, tale sit, ut in eo, per modum exceptionis a regula, idem in regula inhabiles successores succedere possint, qui per modum exceptionis a regula in defuncti exspectatiua feuda succedere possint: hi tamen a successione in exspectatiua sunt excludendi. Licet enim haec noua circumstantia accedat: tamen demonstratio ipsa, ad quam §. praec. prouocauit, adhuc locum habet; hincque necesse est idem adhuc obtinere.

Pone e. g. feudum, in quo aliquando per exspectatiuam succedendum, esse feudum femininum, & etiam feminas ad exspectatiuari mortui feuda aspirare posse: ideo tamen feminae non possent succedere in exspectatiuam, in hoc feudum femininum concessam. Ceterum, vel me non monente, quilibet vider, haec quae §. XXV. seqq. dicta sunt, tum non amplius valere, si pacto aliter conuentum.

§. XXVIII.

Ex his quae haetenus §. XXII. seqq. de qualitatibus eorum, qui succedere possunt in exspectatiuam feudalem, dicta sunt fluit, si, quae dicta sunt, in sommam contraho, sequens principium generale: *In exspectatiuam feudalem nemo succedere potest, nisi sit talis, qui 1) succedere in feuda potest, tam in genere, quam in specie, si exspectatiua est exspectatiua determinata, in illud feudum, in quo aliquando vi exspectatiuae succedendum, & qui 2) ad eius, qui mortuus, successores feudales ordinarios, seu regulares pertinet.*

Dissertatio inauguralis iuridica

Vt, quae dicta sunt, exemplo illustrem, pone casum sequentem. Moritur Titius, qui sibi primus acquisiuit exspectatiuam realem in feudum A. quod est feudum femininum, eumque relinquere duos filios & vnam filiam. Succeduntum duo filii in hanc exspectatiuam, exclusa forore. Hi filii enim sunt illis requisitus instructi, quae adesse debent in eo, qui succedere vult in exspectatiuam feudalem. Sunt enim I) filii defuncti tales, qui successionis in feuda sunt capaces: prout etiam II) sunt defuncti patris ordinatii & regulares successores feudales. Filia vero ideo est excludenda, quoniam in regula feminae non sunt capaces successionis in feuda. Et licet feudum A. sit feudum femininum, ideo tamen filia succedere nequit in exspectatiuam hoc feendum afficien tem. Feminas enim in feuda succedere est exceptio a regula, quae locum quidem habet, si feendum in quo succedendum, est femininum: ideo vero nondum sequitur in successione in exspectatiuam, in tale feendum datam, eandem exceptionem seu irregularitatem esse admittendam. Ast muta in casu dato circumstantiam, Titium relinquere duos filios, & pone eum non nisi vnicam filiam relinquere, patrem eius vero adhuc esse superstitem: tum pater non posset succedere in exspectatiuam feudalem filii. Licet enim adsit primum requisitum successoris habilis in exspectatiuam; cum hominem ideo, quoniam pater est, qui liberos generauit, in feuda succedere non posse, dici nequeat: secundum requisitum tamen deest. Nam pater non est successor feudalis filii,

§. XXIX.

Ex hoc principio generali §. *praeced.* stabilito, fluunt innumera corollaria. Vt vero breuitati studeam, nonnulla saltem ex his, veluti exempla, adducere placet. Sunt haec sequentia:

I) Si

I) *Si feendum in quod exspectatiua data, est feendum mere hereditarium, sicque omnes heredes in illud succedunt: ideo in exspectatiuum ipsam, in tale feendum datam, non indistincte omnes heredes succedunt.*

II) *Si exspectatiua est noua, mortuo exspectatiua-rio; nec eius adscendentes, nec eius collaterales in eam succedere possunt: sed potius soli eius descendentes, qui sunt successores feudales legitimi. Si vero exspectatiua est antiqua: non solum eius descendentes, qui sunt legitimi successores feudales, sed & eius collaterales a primo acquirente de-scendentes & qui successores feudales legitimi sunt, in ex-spectatiuum feudalem succedunt.*

Quod hic indistincte adscendentes & collaterales a successione in exspectatiuum excludam, mirum forsitan videtur iis, qui amant exceptions, & credunt dari multos casus, in quibus adscendentes & collaterales in feuda noua succedunt; sicque & in iisdem ad successionem in exspectatiuum feudalem admittendos esse putabunt. Sed sciant velim, si loquimur de successione regulari in feuda, hoc est, quae obtinet in feudis, quorum singularis natura singularem succendi modum non operatur, & per successionem intelligimus stricte sic dictam successionem, nullam admittere exceptionem propositionem illam: Adscendentium & collateralium primi acquirentis in feudis nulla est successio.

III) *Non licet argumentari ita: hic, vel ille potest succedere in ipsum feendum exspectantia promissum; ergo potest succedere in exspectatiuum. Ita vero argumentari omnino licet: Hic, vel ille non potest succedere in feendum exspectantia promissum; ergo nec potest succedere in exspectatiuum ipsam.*

Haec sufficient de iis, qui sunt habiles successores in exspectatiuam feudalem, vel non. Iam itaque ad determinandum ordinem in hac successione obseruandum me accingo. Vid. §. XX.

§. XXX.

*Si moritur exspectatiuarius, & adjunt tales, qui in exspectatiuam feudalem succedere possunt, is successio-
nis ordo, qui in feudis obtinet, etiam in hac successione lo-
cum habet. In exspectatiuam enim non nisi successores
feudales succedunt (§. XXII.). Quoties vero ad successio-
nem non nisi successores feudales vocati sunt, eundem
etiam succedendi ordinem obseruari necesse est, qui in
feudis obtinet.*

Potest etiam haec propositio eodem modo de-
monstrari, quo (§. XXV.) demonstratum est: non nisi
defuncti successores feudales in exspectatiuam succede-
re posse.

§. XXXI.

*Si per pacta, testamenta, aut alio modo in genere
quoad feuda mortui exspectatiuarii extraordinarius suc-
cedendi ordo est introductus, is successionis ordo etiam lo-
cum habet in successione in exspectatiuam feudalem; siue
ante datam exspectatiuam feudalem, siue post datam exspe-
ctatiuam feudalem sit introductus. Si vero is succeden-
di ordo tantum quoad unum alterumque feodium introduc-
tus: nec is extendendus est ad successionem in exspectati-
uam feudalem. Exspectatiuam feudalis enim, quoad mo-
dum*

dum succedendi, magis pro feudo quam pro allodio est habenda (§. XXI.). Si itaque in genere quoad feuda introductus est extraordinarius successionis ordo; siue ante, siue post datam exspectatiuam sit introductus; eum etiam quoad exspectatiuas feudales locum habere necesse est. *Quod erat primum.*

Cum vero diuersae tamen res sint, vnum alterumue feudum mortui exspectatiuarii, & eius exspectatiua, & a diuersis ad diuersa extendi nequeat extraordinarius successionis ordo: si extraordinarius successionis ordo tantum quoad vnum alterumue feudum exspectatiuarii introductus est, is ad successionem in exspectatiuam feudalem non extendendus. *Quod erat secundum.*

§. XXXII.

Si ergo ius primogeniturae introductum est in familia aliqua, quoad feuda familiae; hincque multo magis, si quoad omnia bona familiae introductum: solus primogenitus succedit in exspectatiuam feudalem, toti familiæ datam; siue exspectatiua data sit ante introductum ius primogeniturae, siue data sit post introductum ius primogeniturae.

Sufficiat hoc vnoeo corollario illustrasse antecedentem propositionem generalem, licet facili negorio plura addi possent. Quis enim non videt idem valere de senioratu, minoratu, alisque extraordinariis successionis ordinibus.

§. XXXIII.

Si quoad feudum, in quod exspectatiua data, extraordinarius quidam succedendi modus obtinet: idem is
mo.

modus succedendi ideo non obseruandus est in successione in exspectatiuam, in illud feudum concessam. Eadem demonstratio, per quam supra (§. XXIV.) euictum, quod qui extraordinem successores feudales habiles sint quoad feudum ipsum, ideo eo ipso nondum successores feudales habiles sint quoad exspectatiuam in tale feudum datam, etiam hic locum habet.

Possem iam, si vellem, ex his principiis multa corollaria deducere, siveque ulterius determinare ordinem successionis, in successione in exspectatiuam feudalem obseruandum. Quum vero hic ordo idem sit, qui in successione in ipsum feudum obseruandus, isque sit satis notus, actum agerem. Nec illus, si casus, qui obuenire possunt, perpendo, obuenire potest casus, in quo singularia quadam notanda, aut cuius decisio dubiis esset obnoxia. Suppono vero casus successionis, qui reuera sunt casus successionis in exspectatiuam feudalem: cum quibus casus qui in successione in feudum apertum, exspectantia promissum, obuenire possunt, non sunt confundendi (*vid. not. ad §. II.*). In hac successione enim omnino casus obuenire possunt, qui aliquo modo dubii sunt, veluti: An, si feudum appetitur longe post mortem eius, qui exspectatiuam imperauit, isque multos nepotes relinquit, & quidem ex altero filio e.g. tres, ex altero quatuor, succedant hi in stirpes, an vero in capita? De quo videatur STRVVIS in *Syntagm. Iur. feud.* Cap. VII. Aphor VIII. num. 3. BFRICH. *Concl. pract. Part. 2.* Cap. 54. n. 69. seqq.

CA-

C A P V T IV.

DE QVAESTIONE: QVAMDIV?
IN HAC SVCCESIONE.

§. XXXIV.

Successio in exspectatiuam feudalem tam diu durat, quamdiu exspectatiua ipsa subsistit: ea vero extincta, & successio in eam non amplius locum habet; id quod per se patet. Hinc vero fluit manifesto: casus extinctae exspectatiuae feudalis, esse casus, in quibus successio in exspectatiuam feudalem finitur.

§. XXXV.

Exspectatiua feudalis vero extinguitur variis modis, qui omnes reduci possunt ad sequentes. Extinguitur exspectatiua feudalis aut *per totalem feudi interitum*, aut *non*. In posteriori casu, aut *per liberam voluntatem eorum, quorum interest*, extinguitur, aut *per casum fortuitum contingit eam extingui*. Prius fit, *per renunciationem ex parte exspectatiuarii; reuocationem ex parte concedentis; & per mutuum diffensum*. Posterior fit dupli modo, tam *si contingit deesse subiectum, in quod transire potest obligatio ex exspectatiua, quam si contingit deesse subiectum habile, in quod exspectatiua transmitti potest*. Contingit vero deesse tale subiectum habile si exspectatiua est personalis, toties, quoties moritur is, cui data exspectatiua: si vero est realis, tam *per interitum familie exspectatiuatae totalem*, quam etiam *per defectum talium subiectorum in familia, quae sunt subiecta successionis in exspectatiuam capacia*.

D

Sunt,

26 *Dissertatio inauguralis iuridica de successione &c.*

Sunt, qui etiam tum exspectatiuam feudalem expirare putant, si vasallus possessor feloniam committit, exspectatiua vero in solum vasalli mortis, vel familiae ipsius interitus casum data. Hanc sententiam vero meam facere nequeo, cum argumenta, quibus ill. IAC. GABRI. WOLFIUS in *Elem. iur. feudor. Cap. VII. §. VI.* eam impugnat, me conuincant.

§. XXXVI.

Cum, quoties exspectatiua feudalis extincta, successio in exspectatiuam feudalem non amplius locum habeat (§. XXXIV.), multis vero modis exspectatiua feudalis extinguitur (§. praecl.): amplius pateret campus, si vellem, ad specialiora descendendo, omnes hos casus extintae exspectatiuae feudalis, & inde cessantis successionis in exspectatiuam feudalem, sigillatim pertractare. Ast cum, quae iam ab aliis dicta sunt, hic repetere nolim, & iam exstet de hoc themate elegans dissertatio, quam Celeberrimus Tubingensis Antecessor IOAN. IAC. HELEFRICH sub titulo: *Dissert. sistens casus potiores extinctiae exspectatiuae, cum primis in feuda imperii R. G. immedia- ta maiora concessae: publici iuris fecit, hic subsisto, & B. L.* ad eam remitto.

T A N T V M .

C O N -

CONSULTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO

S. P. D.

P R A E S E S .

Prima & praecipua cura candidatorum laureae doctoralis merito eo tendere solet, ut thema dissertationis inauguralis tale eligant, quod nec nimis vulgare, nec nimis generale. Et tunc itaque CONSULTISSIME DN. DOCTORANDE de eo quam maxime sollicitus fuisti, ut tale thema inuenires, nihilque, quae TUA est humanitas, hac in re concessissimi votum consultativum, ne dicam, decisum. Auctor susorque itaque TIBI fui,

D 2

vt

Diffinitio magistrorum ——————

ut praesens thema eligas, idque facile a TE impetravi.
 Quae cum ita sint, meum non erit iudicare, an hoc the-
 ma sit satis aptum, sed potius hoc aliorum iudicio relin-
 quo. Quod vero attinet ipsam elaborationem, potuisse,
 fateor, plura addere, & praesertim non iniucundum fuisse
 coniicio multis lectoribus, si TIBI placuisse in rem
 praesentem ire, & exemplis ex historia imperiali deprop-
 ptis illustrare & corroborare, quae dicta sunt. Sed
 prius, ut bene scio, tempus non permisit: posterius vero
 ex meo consilio factum, ex rationibus, quas scire alios,
 eorum non interest. Haec sunt, quae ex me percipere
 Lectores, TVA & mea interesse credidi. Reliqua, quae
 TE praesertim concernunt, an TE ea scire TVA inter-
 fit, quidem ignoro: ait tamen dicam ea paucis. Bene
 TIBI cupio, & habebis me semper ad omnia officiorum
 genera promptum paratissimumque. Vale. Dabam Halie
 d. XIII. Octobr. MDCL.

CON-

CONSULTISSIMO ATQUE PRAESTANTISSIMO

DOMINO CANDIDATO

GEORGIVS SAMVEL MADIHN,

GVELPHERBYTANVS, OPPONENS.

Quo praestantiora doctrinae solidae documenta eruditii publici iuris faciunt, eo maiorem quoque laudem & gloriam merito assequantur. Sed non omnes qui scriptioribus publicis prodire satagunt, eandem gloriam obtainere notum est quam quod notissimum, cum non omnes pari soliditate atque profunditate specimina sua exarare possunt. Instituti praesentis ratio non permittit in ambages descendere, multisque in diuersae eruditorum eruditionis partium cognitionis indolem inquirere. Nihilominus vero magnam eorum diuerstatem, qui in academiis alios iurare docere volunt, statim reprehendimus, si illorum docendi modum iuxta leges rigorosioris methodi sub incudem vocamus. Sane multi & prob dolor! plurimi ICtorum empirica iurisprudentiae cognitione adhuc contenti

sun

sunt & adaequatis scientiae legitime notionibus destituti, nimisque antiquitatum romanarum amore ducti sibi persuadent, mera antiquitatum notitia solidam iurisscientiam penitus absoluunt; ita ut nihil insoliti continet, quando saepius magnum percipimus numerum circumforariorum more clamitantium: Vana est sine antiquitatum cognitione iuris scientia. Permulti etiam, quoniam iura distincte docere nequeunt, maxime ne esfaria iuri priuati capita auditorum memoriae mandare student, in hoc ignorantiae asylo praesidium quaerentes, scilicet ut auditores examinantium quaestionibus satisfacere possint, priusquam ad forum admittantur, TV vero CONSULTISSIME DOMINE CANDIDATE longe nobilitorem viam es ingressus, dum relieto Theologiae studio Themidis sacra professus. Obuerfabantur enim TIBI quotidie ante oculos immortalia nomina CRA-
 MERI, NETTEBLADTII aliorumque qui in promouenda iurisprudentia rationali operam omni aeuo laudabilem collocant; & nihil magis curae cordique TIBI fuit, quam ut iurisprudentiam ex eius legitimis fontibus deductam addisceres, quam ob causam quoque aeroes ICTI
 PHILOSOPHI ILLVSTRIS TVI PRAESIDIS reliquorum omnibus
 praetulisti, tantosque in iis fecisti progressus, ut nunc ad supremos in iure
 honores adspicere queas. Gratulor itaque TIBI felices studiorum TVO-
 RVM successus, gratulor TIBI magnos in iurisprudentia rationali pro-
 gressus, quos abunde testatur dissertatio TVA inauguralis rigorose con-
 scripta. Gratulor TIBI denique summos in iure honores, & nihil
 magis voueo, quam ut TIBI ad nouos honores aditum aperiant. Cae-
 terum vale, mihique in posterum benevolentiam TVAM non denegare
 perge. Dabam in Alma Fridericana d. XV. Octobr. MDCCCL.


ULB Halle
002 729 415

3



5b.







Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
CESSIONE
IN
ATIVAM FEVDALEM

Q V A M
ANTE SVMMO NVMINE
V ATQVE AVCTORITATE
VRISCONSVLTORVM ORDINIS
EGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
ELLENTISSIMO AC CONSVLTISSIMO
DOMINO
LE NETTELBLADT
EST. BORVSSICAE A CONSIL. AVLIC.
ROFESSORE IVRIS ORDINARIO
V TROQVE IVRE HONORIBVS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS
XVI. OCTOBR. A. MDCCCL.
DITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR RESPONSVRVS
S FRIDERICVS BRAND
EBVRGICO-CALBENSIS.
ALICAE AERE HENDELIANO. (4)

9
7750
725